

VERLAG VON
H. W. SCHMIDT

1800

Die Christenheit
STEINMANN

VERLAG VON

W. H. SCHMIDT

1800






THRENI
 LACHRYMAE ET EPITAPHIA
 Consecrata beatis Manibus
 ILLVSTRISSIMI ET CELSISSIMI
 Principis ac Domini

DN. FRIDERICI
 VVILHELMI DVCIS SAXO
 NIAE, LANDGRAVII TVRIN
 GIAE, MARCHIONIS MISNIAE, &C.

*Magno cum Patria dolore & desiderio, at
 sanctè pieq; in CHRISTO defuncti.*
 VINARIAE

An. Sal. M. DC. II. Die VII. Iulij
 post hor. XI. noctis.

*Vixit an. XL. mens. II. dies XII.
 horas totidem.*



J E N A E
 Typis Tobiaë Steinmanni.



FRIDERICVS VVILHELMVS
DVX SAXONIAE &C.



L A C H R Y M A E
Filiolorum nec non Filiolarum illustris.

Ad Patrem desideratissimum

ILLVSTRISSIMVM CELSISSIMVMQVE
PRINCIPEM AC DOMINVM,

D. FRIDERICVM VVIL-

HELMVM DVCEM SAXONIAE, LAND-
gravium Thuringiae, Marchionem Misniae, &c.

Ex hac vita miserrima in caelestem migrantem pieq; defunctum,

PIETATIS ADEFFECTV

In summo luctu imis cum

SVSPIRIIS,

largè profusæ.



*Eu Pater, alme Pater, Pater unice, dese-
ris heu nos!*

*Matrem, heu Filiolos Filiolasq;
tuos!*

*Heu rapere ex oculis nostris adeòne re-
pente!*

Heu, miserum auditu, vox inopina VALE!

Vox miseranda VALE insonuit; vae flebilior vox

Qui valedicebat, mortuus est GENITOR!

Heu insperatum VALE, at insperatior eheu

Discessus celer, O mors properata nimis!

Liquisti ab matrem viduatam coniuge, natos

Liquisti orbatos care parente PATER.

Ecquod naufragium maius, maiorq; ruina,

Quam matrem & sobolem deseruisse simul!

Vnde petemus opem cassus solamine quisque?

Præsidium iacet heu spes columenq; domus!

Heu ruptura ingens, quam nil mortale refarcit!

Heu bona quæ dum homines depercutunt pereunt!

1 2

Si

*Si non debebas cura superesse paternā,
In nos quam pietas flagitat arcta, PARENS.
Si non natibus teneris, superesse maritæ,
Non impuberibus filiolisq; tribus:
Debebas Patriæ & populi superesse saluti,
Qui capite amisso est corpus ut exanimum.
Debebas superesse sacris, Pietatis amator:
VTILIS hæc VIRTUS TVT Aq; visa tibi est.
Debebas domui illustri superesse columna
Saxonica, cuius tutor & auctor eras.
Romani Imperij fulcro superesse, quietis
Sæpe quod armasti consilijs & ope.
Principum amicitiæ & fidei superesse, quibus cum
Mutuiter Pacem te coluisse iuvat.
Debebas superesse omni, prodesseq; cunctis:
Te superesse cupit publica summa salus.
Quot suspiria, quot lacrymæ, planctusq; supersunt
Iis, qui te amplius hæc non superesse vident!
Verum quid gemimus? gemitus non Fata refranant:
Et factum infectum nulla querela facit.
Nec pietas certare Deo est: Patientia vincat:
Perfer, quod perijt si reparare nequis.
Qui bona dat, DEVS est, DEVS est qui præcipit idem:
Et qui sine malum terminat omne bono.
Qui sternit, DEVS est, DEVS est & qui erigit idem,
Firma in qua nostra est spesq; fidesq; sita.
Nec minima in nostro est solati portio luctu,
Constanti in CHRISTVM Patrem obijisse fide:
Nunc fungi intuitu CHRISTI æternaq; salute:
Hæc finis vitæ est sic benè posse mori.
Militia hæc fidei nobis quoque restat ad astra:
Totius hæc vitæ est ars benè posse mori.*

EPI.

EPI TAPHIUM
ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI,
DN. FRIDERICI VVIL-
HELMI, DVCIS SAXONIAE,
Landgravij Thuringiæ, & Mar-
chionis Misniæ, &c.

Qui obiit VINARIAE 7. Iulij. h. II. p. m.
Postquam vixisset annos XL. M. II. D. XII.

Hac Pietas, Probitas, & quicquid Principe dignum est,
Et decus Imperij, contumulatur humo.

Testantur Caesar, septemq; virale senaculum;

Et Res salva huius publica consilijs;

Saxoniæq; ENSIS, quem per duo lustra gerebat,

Pax curata domi, Turcica bella foris.

Floruit Imperium, TE PRINCIPLE, floruit ALMAE

Relligio, populus, Curia SAXONIAE.

Discite Magnates; his est hominumq; DEIq;

Artibus æternus conciliandus amor.

Ploretis mecum Dominum, Patrem, atque Maritum;

Subiecti, Coniunx, Curia, Filioli;

Cum pietate tamen: restat spes altera vitæ

Aeternæ; Luctus debet habere modum.

Tu vive in cælis Princeps FRIDERICE VVILHELME,

Indignus tanto munere Mundus erat.

Opt. & Clementiss. Pp.
Mœrens F.

Marcus Gerstenbergk D.

A 3

Idem

Idem Germanice.

In diesem Orth ligen begraben/
Gottsfurcht / Frömbkeit vnd alle Gabn/
Die ein Fürsten stehen wol an/
Des heiligen Reichs ein Bierde schon.
Das zeugt Keyserlich Maiestat/
Auch löblicher Chur vnd Fürsten Raht.
Fürwar gemeinen Ruhs Wohlfart/
Durch sein Raht oft erhalten ward.
Der Chur Sachsn Administration/
Zehn ganzer Jahr verwaltet schon.
Im Reich sorgt Er für Ruhe vnd Fried/
Zum Türcken Krieg Er halff vnd rieht.
Bey ihm grünet das heilig Reich/
Vnd im ganzen Haus Sachsn zu gleich
Kein Religion / gut Regiment/
Der Hauswirt auch sich wol befandt.
Doran grosse Herrn lernen wolln/
Wie sie Gunst vnd Ruhm erwerb'n solln.
Drumb ist nicht wunder / das mit mir
Betrarn diese Hochfürstlich Bier/
Aus Pfaltzisehn Stam sein betrübt Gemahl/
Die Fürstlichn Waisen allzumal/
Die Raht vnd Diener in gemein/
Die Vnterthanen gros vnd klein.
Doch wolln wir Christlich Gedult fassin/
Im Trawren soll man halten massn.
Der Edle Fürst erfrewt sich nuh/
Im Himmel hat Er fried vnd ruh.
Es war nicht werth die schnöde Welt/
Zu haben so ein thewren Held.

Alind

ALIVD.

Qui pius, & Patriæ Pater optimus, inclytus **HEROS**
 Nestoreos annos vivere dignus erat;
 Egregius Princeps, nulli probitate secundus,
 Relligionis amans, justiciæque tenax;
 Naturâ placidus, clemens, lenisque bonusque,
 Principe quo nullus mitior orbe fuit;
 Tardior ad pœnam, velox ad præmia, semper
 Qui doluit quotiès debuit esse ferox;
 Quo vivo, nostris fulsit **PAX AVREA** terris,
 Et cumulata bonis **SAXONIS** ora fuit;
 Delicias patriæ quem dixeris, atque suorum;
 Proh dolor, hunc nobis abstulit una dies:
 Atra dies, funesta dies, lacrymabilis hora,
 Imperij columen sustulit atque decus:
 Pro grege, lege, sacris, pro conjugè filiisque,
 Dux bonus & Conjux, sollicitusque Pater,
 Dum premitur curis, & magna negotia tractat,
 Deficit, **HEV** morbo frangitur atque gravi:
 Nec tamen absistit curam gerere ipse suorum,
 Atque sui, donec languida membra trahit;
 Commendans precibus sed se patriamque suosque,
 Supremo cedit de statione **DVCI**
 Sic acie in prima consistens miles honestus
 Occumbit;; **STANTEM MORS NECAT ATRA**
DUCEM.

O fidei constans assertor, & optime Princeps,
 Te tenet alma quies, nos lacrymosa dies!
 Te tenet aula nitens, nos conficit aula molesta,
 Dum quod præcedis nos comitemur iter.
 Interea placidè corpus requiescat in urna,
 Mens capiat cœli gaudia perpetua;
 Purgato donec terra jungatur eidem,
 Fulgeat ac veluti lumen in arce poli.

*Debita & humilima subiectionis ergò
 conscriptum ab Illustriss. Celsis. S. Ser-
 vitore mæstissimo.*

Helia Förstero, I. V. D.



D. O. M. S.

PRINCEPS ILLUSTRISSIMVS

FRIDERICVS VVILHELMVS

DVX SAXONIAE,

LANDGRAVIVS THVRINGIAE,

MARCHIO MISNIAE, &c.

NATVS

VINARIAE ANNO M. D. LXII. DIE APRIL. XXV.

HOR. MERID. XI.

PATRE IOHANNE VVILHELMO

AVO IOHANNE FRIDERICO ELECTORE

MATRE DOROTHEA SVSANNA

FRID. ELECT. PAL. F.

EDVCATVS

TVTOR AVGVSTO ELECTORE S.

IN PIETATE VIRTUTE ARTE

PRINCIPE DIGNIS.

IMPERAVIT

PATRIAE ANNOS XV. TVTOR ET ADMINIST.

ELECTORAT. S. INTERIM X.

RELIGIONIS ET IVSTITIAE NORMA;

SALVTEM ET PACEM

IMPERII ROMANI SVIQVE POPVLI

LEGEM SVPREMAM

HABENDO

PRINCIPIS PII IVSTI PACIFICI

PATRIS PATRIAE NOMEN

MERITO MERITVS.

VXO.

VXORE

PRIMA SOPHIA VVIRTEMBERGICA
ALTERA ANNA MARIA PALATINA

LIBERIS

SVSCEPTIS X.

EX ILLA FILIOLIS DVOBVS FILIABVS TRIBVS
DOROTH. MARIA, IOH. VVILHELMO, FRIDERICO
PRAEMORTVIS: DOROTH. SOPHIA, ANNA
MARIA

EX HAC FILIOLIS TRIBVS, FILIABVS DVABVS
IOH. PHILIPPO, ANNA SOPHIA, FRIDERICO,
IOHAN. VVILHELMO, DOROTHEA.

MORTVVS

PIS PLACIDE ATHEV PRAEPROPERE
VINARIAS NON. IVL. HOR. P. XI.

ANNO M. DCII.

CVM LVCTV EXTIMO DISPENDIO IRRECUPERABILI
VIDVAE, LIBERORVM, FRATRIS D. IOHANNIS,
DOMVS SAXON. POPVLI, ROM. IMPERII.

VIXERAT

ANNOS XL. MENS. II. D. XII. ET HOR. XII.

EX ANTLATIS IMPERII LABORIBVS, ERVMNIS
MVNDI, GORPORIS MORBIS.

ANIMA

IN COELO AETERNVM VIVIT:

CORPVS

HACHVMO IN PACE QUIESCIT

REDINTEGRATIONEM

IN DIE NOVISSIMA NOVISSIMI IVDICII

EXPECTANDO.

HOMO

MORTALITATEM LVGEIM MORTALITATEM

QVAERITA.

M. S. E.

IACOBVS BORNITIVS I. V. D.

P.

B

CHRISTO



CHRISTO SERV. S.

ILLVSTRISS. CELSISS. Q.
Principi ac Domino

DN. FRIDERICO
VVILHELMO DVCI SAXONIAE
LANDGRAVIO TVRINGIAE
MARCHIONI MISNIAE
SAC. ROM. IMP. OCELLO ATQVE LVMINI
DOMVS SAX. COLVMINI

Patri Patriæ Opt.

RELIGIONIS SINCERIORIS REPVRGATORI
ET VINDICI SANCTISS.

IYSTITIAE, FIDEI, PACIS ET SALVTIS
ASSERTORI ET CONSERVATORI
GRAVISS.

ECCLESIAE ET SCHOLAR.
PATRONO CLEMENTISS.

LITERAR. ET LITERATOR. ALTORI
MVNIFICENTISS.

QVI.

CHRISTO IN VITA VIGILANS, CHRISTO
IN MORTE OBDORMIVIT

AN. SAL. MD. CII. NON. QVINCYIL.
HOR. XI. NOCT.

HEROI INCOMPARABILI

EVERGETAE ET NVTRITIO SVO
BENIGNISS.

SALANA mœrens

AD PVBLICI LVCTVSSOLATIVM
H. MON. POS.



SALANAE
THRENI ET LACHRYMAE.
ÆNIA I.



*O*ccidit heu PRINCEPS melioribus incly-
tus annis,

Vt flos ante diem Sole tepente cadit :

*Imperij columen : columen Germanidos
ora :*

PRINCEPS SAXONICAE gloria magna DOMVS :

Qui PATER audivit PATRIAE : quo sospite sospes

PAX, ARS, LIBERTAS, IVS, PIETASq; fuit :

Quem sua Tutorem gestasse insignia Saxo

ENSIFER, & grata MISNIA mente canit :

Quem pia posteritas, IOSIAE munere functum,

Doxomachos procul hoc orbe fugasse canet :

Quem pia posteritas pacem, sine sanguine bello

Extincto, Patria restituisse canet :

Auxilio cuius, CAESAR RV DOLPHE, fateris

Immanes armis te domuisse GETAS :

Cui mentem propior SANCTI SPIRAMINIS aura

Afflatam; templum fecerat esse DEI :

Cui labor assiduus divini oracula Verbi

Versare, & pura mente vocare DEVM :

Summa cui plures linguas didicisse voluptas,

Et cupidam Clario fonte levare sitim :

Cui mores faciles, nil usquam fraudis habentes :

Quo melior nemo visus in orbe fuit :

Turgida nec fastu cui mens; nec casta procaetes

Edidit, indignos Principe, lingua sonos :

*Cui quàm larga manus miseris succurrere promta,
Exemplo poterit notius esse meo.*

*Has propter dotes, PRINCEPS FRIDERICE
VVILHELME*

Perpetuò sospes vivere dignus eras.

At nos indigni, ut fruermur munere tanto:

Tantum patrati pondus ubique mali.

Parce DEVS: toto deflemus pectore culpam,

Et gravis affligit conscia corda dolor.

Horremus pœnas, quas nobis dextera vindex

Intentat: meritò nos gravis ira premit.

Da veniam: vultu pacato respice NATVM,

Sanguine qui delet crimina nostra suo.

SAXONICAM solare DOMVM, quam nocte dieq̃

Exercet diris anxia cura modis.

Te verò, DVX IANE, DEVS servetq̃, regatq̃:

Vt, quod agis, laudi serviat omne sua.

Tu porro FRATRIS vestigia naviter urge,

Quod facis: ut PIETAS floreat atq̃ THEMIS:

LITTERVLAE vigeant: regnet PAX aurea terris:

Adspirent votis FAT A benigna tuis.

Hoc suæ cum devota mentis subiectione
grataque animi memoria, ob accepta toto
vitæ suæ decursu beneficia summa, coniu-
ctæ *εὐπαθείας* mon. mœrens pos. Zacharias
Brendel Med. Doct. Prof. in Salana Pub.

NAENIA:

NAENIA II.

SI lachrymis facilem cura interiecta meatum,
 Atque usum vocis languida lingua, darent:
 Surgeret undosum lachrymarum gurgite flumen,
 Iam daret & mœstis vox sua signa modis,
 Scilicet extincto tam magno Principe, cuius
 Omnia tranquillæ plena quietis erant.
 Inclita cui geminæ surgebant stemmata stirpis,
 Et per munificas nomina quanta manus!
 Cuius cum pietas, tum cœlo cognita virtus,
 Sanguinis auxerunt nomina clara sui.
 Quique animum tenuit contra sua secula rectum,
 Nevè vîquam passus jusque piûmque pati.
 Verùm heu sic agimur fatis, & cedere fatis
 Cogimur, haud flectit fata querela gravis.
 Ille quidem terras, mundi immundi que reliquit
 Lumina, sub gelida contumulatus humo.
 Parte tamen meliore sui super astra relatus,
 Inque beatorum sede receptus agit.
 Illic aut inter gentis sua lumina oberrans,
 Gloria quæque humeris evehit alta suis.
 Aut cupido primæ complexu Conjugis hærens,
 Terrenas gaudet deseruisse plagas.
 Ergò Palatinidæ, vidua, ô pars maxima stirpis:
 Incipe nunc lachrymis ponere velle modum.
 Tuque orbata Patre proles generosa, tenellas
 Desine nunc lachrymis velle onerare genas,
 Ille Pater Patriæ, magnus Dux ille IOHANNES
 Fratris & in partes officiosus erit.
 Cuius summe Parens animum, mentemque gubernas,
 Ut veniat populo certa medela suo.
 Ut Pax arma fuget, regnet Concordia vbi que:
 Inque via Domini vesper & ortus eant.

*Dominicus Arumæus I. V. D. humili
 limi obsequij, & debita gratitudinis
 ergò F.*

B. 3

NAENIA

NAENIA III.

F Elicitas quam nulla perennis est
Sub orbe toto! nil stabile est diu:
A parte nil omni beatum.
Nempe dolor simul & voluptas
Vinclis coherent iuncta adamantinis.
Sic invicem alter fit comes alteri:
Sorsq; una pensatur benigna
TriplICE sorte ferè maligna.
Vix te receptum, qui nimium diu
Hinc abfuisti, Patria Principem
Adspexit optatis misella,
Dux FRIDERICE VVILHELME, ocellis:
Adversa mox sors, & miserabilis
(Eheu!) querela nos iterum obruunt
Procella; nostro & luētiosum
Incutiunt animo stuporem.
Te nempe lumen Romulei Imperi,
Ecclesiae te praesidium & decus,
Te gemmulam Europa, Salanae
Te columen, Patriaq; Patrem,
Prestantiorum te quoq; Principum
Sidus serenum, sub rigidas vocat
Leges tenebris mors operta:
Heu grave plus nimio sororum
Fatalium ius! Quid tibi profuit,
Dux magne, stirpis nobilitas tuae,
Reges recensens maximos, Sol
Quos vagus orbe sub universo
Conspexit? an non te pietas tua,
Virtusq; donans omnia, de super

Non

Non affluens rerum benigno
 Copia visq; opulenta cornu,
 Exemit immiti imperio necis?
 Non te tot usquam tot medica manus
 Tantis redemerunt medelis,
 Tam rigido statuente fato?
 Vt Ruta, semper qua ipsa alias solet
 Virere, postquam flatibus asperis
 Brumale noctu sensit algu,
 Flaccet; inopsq; anima, rigore
 Eneeta marcet: sic subito nimis,
 Praterq; spem, Dux optime, frigore
 Geluq; constrictus rigenti
 Membra, animam gemebundus efflas.
 Heu! luctuosum quam nimis asseret
 Nostro Monarchae mors tua nuncium?
 Heu! quam Palatinum tabella
 Insolito socerum flagello,
 Socrumq;, & omnes Imperij sacri
 Tundet Dynastas? Largiter uberes
 Fontes scatebris ecquis unquam
 Suggestet his modo lachrymarum?
 Vasanientis fluctibus ut maris
 Renititur dum navita pervigil
 Surdis, paratus mente tota
 Frangere vim Borea ruentis
 Notivè; mortis flebile obit iugum,
 Dorso gravatus gurgitis asperi:
 Mærent sodales, remigesq;
 Nereidumq; chorus dolori
 Indulget alto, multa gemens; minas
 Tumultuantem iactat in Aeolum

Triton

Triton susurrans rauca, frustra
 Illius & rabiem reprehendit :
 Dux magne, mortem sic patrij tuam
 Plorant penates atriaq; : occulunt
 Caput suum Albis, Mulda, Elyster
 Et Sala : flentq; dolentq; saxa.
 Franci, Cherusci, Tyrigeta gemunt,
 Et Saxones, & Misnia nobilis,
 Et quicquid est passim quiritant :
 Heu ! iacet, heu ! iacet ille, Patrum
 Vestigiorum sancto imitamine,
 Ecclesia qui portus & anchora,
 Sanctaq; cultor iustitia tenax,
 Et fidei fuit Orthodoxa.
 Ah quam futuris consilijs erat
 Magnisq; agendis rebus idoneus !
 Vt publicas curavit acri
 Sedulitate fideq; curas !
 Nostrum ille sidus, nostraq; gloria,
 Et spes, & arx (heu !) occidit, occidit !
 En, ipsa lux, nec ar, tuiq;
 Dimidiem ANNA MARIA cordis,
 Iam membra cernens Coniugis optimi
 Propinqua letho, languida, & algida;
 Vt planxit infelix, querelis
 Cuncta replens, faciensq; lessum !
 En, quanta luctus, enthea pectora,
 Frater IOANNES, & soror optima,
 Natiq; dulces, signa quantis
 Cum lachrymis gemituq; pandunt,
 Nil profuturis. Fata negant quia
 Flecti querelis surda. Tibi tamen

*Fas est honores hos, tuosq; has
Inferias cineri sacrasse.
Nunc eia curis liber ab omnibus,
Dux sancte, sedi civis Olympica
Transcripte, ter salve valeq;
Et frueri alloquio IEHOVAE
Indesinenter. Molliter interim
Mundata terra membra cubent tua:
Donec beatis inserantur
Corporibus, meliore vitâ:
Felicioris ver ubi seculi
Desideratum Manibus ingruet:
Et rursus humanis virentem
Proferet articulis vigorem.
Dux sancte salve: nam soboles tua
Terris superstes vivit: & optimus
Vivit IOANNES Dux superstes,
Ille Pater Patria benignus.
Superstes hic ô viuat, & has diu
Longævus oras pace regat bonâ!
Superstitabit qui superstes
Dijs placidis, Patria salutem.*

Elias Reusnerus Leorinus, Hist. &
Poës. Professor, piæ observantiæ
sanctæquæ memoriæ ergò, non sine
lachrymis F.

NAENIA

ÆNÏA 17.

Heu mihi; quòd juvenis quondam, FRIDERICÈ
VVILHELME,
Vidi fata PATRIS flens properata tui!
Heu mihi; quòd MATRIS, NATORVM, CONIVGIS almę
Funera vir vidi mœstus acerba tuę!
Non erat hoc fatis: heu quoque TE, CELSISSIME PRIN-
CEPS,
Ereptum nobis abstulit atra dies!
O spes fallaces nostras; ô pectora cæca!
Casum tam subitum non timuisse viros!
Atqui dignus eras, cui Nestor cederet annis;
Vel mage Mathusalem, nobilis ille senex,
Namque Pater blandus, simul & placabilis irę
Heros, assuêras civibus esse tuis:
Tu DECVS IMPERII; GENTIS formosus ocellus
TEVTONICAE; nobis fertilis ARBOR eras.
Candida PAX; pia RELIGIO; generosaq; VIRTVS,
LITERVLAEQ; BONAE cura fuêre tua.
Pro tantis meritis, age, quę SANCTISSIME PRINCEPS,
Redditur à nobis gratia digna TIBI?
Flent mœsti PROCERES; lugent puerique, senesque
Te velut amissum, DVX venerande Patrem:
Nec lacrymas retinent Matres, teneręque Puellę;
Largis, En, MVSAE fletibus ora rigant.
HINCTVA FACTA canunt victo pede, moxque soluto;
Atque eadem pueros concelebrare docent.
Quin nova cœlestis gratantur gaudia vitę;
Vitę, qua melior, non erit, atque fuit.
Salve Sancte Heros; Salve FRIDERICÈ, VVILHELME;
Aeternum salve; perpetuumque vale.

*Subiectissima observantia & gratitu-
dinis ergò F.*

Ioannes Zölner M.

Epos

V.
EPOS LVGVBRE
M. VVOLF GANGI HEIDERI:

O Patriæ FRIDERICE Pater GVILIELME, quis unquam

Fatorum metuit tibi iussa verenda supremum
Tâm subito celerare diem? cum stamina vitæ
Candida, Nestoræ cum tempora longa senectæ
Et Pietas, & firma tibi promitteret ætas.

Proh Superi, quantum ratio mortalis opacæ
Noctis habet, quantis caligat operta tenebris?
Pangite Salanæ lugubria carmina Muse,
Et laniate genas, & tundite pectora palmis.

Scilicet hic misero succurrere cœperat ævo
Egregij Princeps animi, terrasq; benigno
Imperio frenare suas, certamq; beatos
In spem sustulerat cives: sed protinus omnis
Spes abit in ventos, sublapsaq; tota refertur.
Occidit ante diem Dux inclytus, occidit annis
Integer, & medio cadit in virtutis a vitæ
Curriculo: quid templa iuvant, quid vota iacentem
Et pietas, & cana fides, & quidquid honesti
Optimus Augusto Princeps in pectore gessit?
Pangite Salanæ lugubria carmina Muse.

Interea multi superant, quibus una voluptas,
Nîl Superos, Acheronta nihil curare: sacellis
Sacrilegas inferre manus, rarasq; misella
Perdere plebis opes: qui turpibus omnia fœdant
Claustra libidinibus: servas qui ciuibus vrbes
Et rus agricolis viduant, qui sanguine diram
Ingluviem pascunt, taboq; fluente suorum:
Quos fugit ut tumidos vicinia tota colubros:

His quasi mancipio Lachesis dat prodiga vitam,
Hos gremio fovet illa suo, turpemq; cruore
Caniciem seros transmittit ad usq; nepotes.
Sed nostri capitis decussit iniqua coronam,
Et summum Patriæ decus abstulit. O ubi tandem
Quod sua cuiq; refert iustum, sua cuiq; rependit?
Pangite Salanæ lugubria carmina Musæ.

Quid causæ memorem? (liceat mihi ferre sub auras
Quæ subeunt animos, mala si qua ferenda, sed absq;
Sacri præsidio verbi, sine numine sacri
Flaminis) an rapidum fors omnia versat in orbem,
Et vesanus agit mortalia casus? an æquè
Stat sua cuiq; dies, & inexuperabilis ævi
Terminus? an falsâ pendunt mala fata bilance
Læta malis, infausta bonis, & vela secundi
Intendunt Zephyri sacri prædonibus auri,
Sed medio nil ausa ratis perit hausta profundo?
Dii meliora pijs: æquissima iura Tonantis
Impietas temerè vano clamore lacescit.
Quin potius luimus commissa piacula: quin nos
Exercet gravis ira DEI, porroq; furentes
In mala precipites dabit omnia: perdita quondam,
Nî pietas querat lapsis oracula rebus,
Et redeat nobis vetus in præcordia virtus.
Pangite Salanæ lugubria carmina Musæ.

Vidimus hoc nobis, si mens non læva fuisset,
Sæpius haud dubijs prædicere numina monstris:
Cum rapidis tumefactus aquis pater Albis apertos
Obicibus ruptis latè spatiatus in agros,
Tempore non solito deiecit a mapalia secum
Cum stabulis, gregibusq; tulit: simul agmine factò
Erunt antiquas vulsis radicibus ornos,

Obduxitq;

Obduxitq; vagis sata lata, boumq; labores,
Blandaq; Nympharum viridaria victor arenis.
Huic Thuringus opem tulit auxiliariis undis,
Laxavitq; cauis undantia fontibus ora
Sala per umbrosas currens sub arundine valles.
Quin etiam ventis totas immisit habenas
AEolus, ut terras cœlumq; salumq; profundum
Fulminei tulerint secum, volucresq; per auras
Vix aliquot tandem post verrere mensibus ultra
Desierint: valeant omnes, quicumq; malorum
Nuncia despiciunt portenta, vagosq; ruentis
Materiae motus, sed inania somnia, iactant.
Pangite Salana lugubria carmina Musa.

Non fuit hoc melior quisquam, nec amantior equi
Principe, (vera cano, procul invida lingua faceffat:)
Quâ Sol Carpatijs à montibus ortus, ad usq;
Oceanum, lustrat Mavortia Teutonis arva.
Nam genus & proavos, qui iam propè mille per annos
Implerunt Patriam meritis, quis nescit utramq;
Solis ad usq; domum? toto memorantur in orbe.
Ille DEVM Patrium teneris veneratus ab annis
Instar IOSIAE varijs sacer imbuit aras
Muneribus, pavidisq; dedit sperata ministris
Ocia, composuit lites, pugnasq; diremit.
Idem lethiferam domuit velut alter Echidnam
Alcides, vetuitq; suis considerare terras
Ausonios ferale genus, furaxq; chelydros.
Hoc pia religio sub Principe libera pressum
Extulit ad cœlum caput, & radiantibus astris
Intulit innumeros, Superùm nova gaudia, cives.
Scilicet hos fructus concordia diâ refundit.
Nil unquam melius, nil pace suavius illa,

*Peētorā quae stabili devincit amore docent iūm.
Non quae Pontificis sacrum funduntur Aronis
In caput, & largo barbāq; sinusq; madentes
Imbre lavant, imūmq; rigant sacra balsama limbum.
Non qui mane novo teneris gratissimus herbis
Ros Hermonis alit languentia gramina, vel qui
Cum findit terram canis, & seges agra recumbit,
Gemma velut nitidis lucens argentea guttis
Sionis vitreā iuga montis inebriat undā,
Haec accepta refert tibi munera, Maxime Princeps,
Omnis quae Latios pepulit Germania fures,
Et cuicumque DEVS Pater est, Ecclesia mater,
Pangite Salane lugubria carmina Musae.*

DVX FRIDERICE tibi labor hic erat unus,

& una

*Cura, sacros iuxta, qui prima piamina, cultus,
Omnibus ex aequo prodesse domiq; forisq;
Et dare nil damni cuiquam. Sic itur ad astra:
Sic DEVS est, & imago DEI certissima Princeps.
Ergo tuos placidā populos in pace regebas,
Non ibi publicā vis, non bella, nec aris acuti
Cornua, non galea, non hasta, nec improbus ensis,
Non fera sanguineum quatiens Bellona flagellum,
Et patulos tabo crudeliter oblita rictus.
Aurea pax agros coluit, pax aurea vites,
Marmoreas factura brevi feliciter urbes:
Pampineā civis tutò residebat in umbrā,
Vitiferos resonare docens pia numina colles.
Rustica (sed sacris iam non nisi ritè peractis)
Per tepidos latè campos diffusa iuventus
Ludebat, patriūmq; choro Pæana canebat,
Et titubans unctos saliebat anhelata per utres.*

Pramia

*Premia virtuti data sunt, sed pœna nocentes
Pressit, apud leges rerum fuit æqua potestas.
Scilicet his vinculis si regna ligentur & urbes:
Ex solido religata manent adamante, nec illa
Titanum poterunt vires excindere: quamvis
Pelion Ossa premat, summus premat Ossa Olympus.
Hæc igitur nobis Princeps bonus oia fecit.
Et velut assiduas fons limpidus egerit undas:
Sic nunquam malè parcus erat: quin omnibus æquè,
Si ratio sineret, lato dabat omnia vultu.
Pangite Salana lugubria carmina Musa.
Cum subito viridipius occubisset in ævo
Christianus columenq; sacri, luctusq; perennis
Imperij: mox te FRIDERICE VVILHELME vocatum
Mysia porrectis, & Saxonis ora lacertis
Excepit, rerumq; dedit moderamen, & unâ
Detulit Ensiseri munus, fratresq; tenellos
Saxonica generosa Domus tria pignora dextra
Commisit FRIDERICE tuæ. quis plurima paucis
Complecti poterit tantæ præconia laudis?
Tu solitâ pietate, fide, multoq; labore
Spem superas omnem Princeps mansuetus, & omnem
Invidiam: magnoq; sacras turbante tumultu
Res, cupidis pacem, regio quam fessa petebat,
Civibus instauras, & providus omnia sanas
Vulnera: disiuncta coalescere pectora gentis
Æternâ cum laude facis, Ianiq; vetustâ
Luctificum belli constringit in æde furorem:
Ille sedet super arma ferox, manibusq; revinctis
Post tergum gemit, & fremit horridus ore cruento:
Interea dum lentus abes, Thuringia mæsto
Te Dominum, Patremq; ciet propè languida questu:*

Te

Te colles saltusq; vocant, te culta requirunt
Iugera, te fontes & flumina nota reposcunt.
Et iam finis erat, triplex trieteris & annus
Exierant; Patriosq; lares invisere tempus,
Sed benè re gesta, FRIDERICE VVILHELME, iubebat.
Ergò tuam remeas Dux optime saluus ad aulam:
Nec repetis Patriam magnâ ditatus opum vi,
Sed meritis, sed honore gravis, sed amore: beatus,
Quisquis honoratus, sed amabilis exigit ævum.
Tendit in occursum tibi Patria tota, suisq;
Proruit exultans è sedibus inscia fati,
Insicia præpropera mortis, sortisq; futura.
Nam citò leticia modus, & miserabile tempus
Appetijt, dubiamq; fidem fortuna novavit.
Pangite Salana lugubria carmina Musa.
Obsequium FRIDERICE tuum, cautiq; salubris
Consilij semper moderatio, fœdere sancti
Imperij proceres tibi conciliauit amoris,
Augustamq; domum, celsiq; benigna RODOLPHI
Pectora. Te septem coluit sacer ordo virorum,
Magnanimiq; Duces, & quas habet ultimus urbes
Cæsarea liber sub maiestate Senatus.
Nempè diu durant moderata; sed impetus omnis
Ætæ eos sine mente refert, sine lumine fratres.
Nec tamen externos animus tibi fortis in hostes,
Pæonia raros qui iam populantur agellos,
Defuit, aut ingens cœpti fiducia belli.
Arma, quibus laniant alij sua viscera, seruos
In Mahometigenas sumptusq; virosq; ministrans,
Cæsaris ad placidi nutum, Patriaq; salutem
Pro grege, pro sacra vertisti lege. Quod ergo
Cæsareis, nidos aquilis, tutosq; recessus

Alba

Alba dat, & rigidis Strigonia cautibus haerens:
Munus id esse tuum, Princeps animose, fatemur:
Non aliter quam si medios effusus in hostes,
Egregiam peteres per atrociam vulnera mortem.
Pangite Salana lugubria carmina Muse.

Non minor artis amor te ceperat, Optime Princeps.
Scilicet ingenijs Dux ingeniose favebas,
Hospitiumq; dabas alimenta q; larga verendis:
Blanda quibus Sala resonant vineta Camænis,
Et varios inter strepitus, aulæq; tumultus,
Illecebrasq; vagas, tamen hæc tibi cura remansit,
Aurea magnorum libros monumenta virorum
Nocturnâ versare manu, versare diurnâ;
Et multas, quibus esset opus, cognoscere linguas.
Nec cultis piguit te versibus, & benè natis
Aonio gratas deducere vertice Musas,
Inq; vocare sacros certamen amabile vates.
Vna salus Patriæ Musis comitatus Apollo.
Semper enim Phœbi de vertice plurimus imber
Precipitat, terramq; rigat, Panacisq; liquore
Arentem medicatur humum: sunt omnia Phœbi
Munera, litterulis qui corda sequacia fingit.
Pangite Salana lugubria carmina Muse.

Talis eras, & tantus eras, maioraq; Princeps
Voluebas animo: sed iam tibi fila legebat
Parca, nec in terris herere diutius illum
Fas erat, a striferi melior quem regia cœli
Iam pridem patrio reddi poscebat Olympo.
Ergo gravi tandem Princeps languore solutus
Corporis (invictas animo dabat undiq; vires
Alma DEO subnixâ fides, & vota ciebat)
Cum medicam superaret opem vis illa: beatam

D

Exhalas

Exhalas animam : stupet heu, stupet inclyta Coniunx,
Et lachrymas vorat ipse dolor : generosa rigentem
Inclamat Soboles Patrem : fraternaq; plorat
Funera non solitus mala deplorare IOHANNES,
Intrepidi Princeps animi : pia fletibus aula
Perstrepit, & tunsis gemitus ad sidera tollit
Pectoribus, Dominumq; suum, Patremq; suprema
Voce vocans miseris longè loca questibus implet.
Humescunt lachrymis iuvenesq;, viriq;, senesq;,
Fæmineis pavida plangunt ululatibus urbes,
Maeret ager, segnisq; situ durefcere campus
Incipit, & vitio moriens sitit æris herba.
In primis teneræ quondam tua gaudia Musa,
Quas vagus Albis alit, quas flavus Elister, & imas
Sala Pater radens valles, FRIDERICE gementes
Fleat obitum GVILIELME tuum, passisq; capillis
Incedunt, trepidæq; nigro velantur amictu,
Flebilibusq; modis passim tua funera narrant.
Pangite Salanæ lugubria carmina Musæ.

Nos verò miseri : sed te FRIDERICE beatum,
Qui capis assiduo vitam pro funere, lucem
Pro tenebris, pro nocte diem, satientia mæsto
Gaudia pro luctu, pro singultante perennem
Exilio Patriam, pro terræ sordibus omnes
Cæli delicias, multoq; labore quietem.
Iam tibi parva salus : nos per discrimina rerum
Mille, per horrifonis maris æquora concita ventis,
Per dubias Syrtes, per inhospita saxa, per ignes
Tendimus in cælum. Te iam locus ille recepit,
Qui nebulas, nubesq;, supra, stellasq;, micantes
Despicit hoc imo quidquid subsedit in orbe.
Hic cum Matre tibi Gnatos, geminumq; Parentem

Hic

Hic magnum tibi reddet Avum, qui vulnera leto
 Pulchra gerit vultu: qui captus ab hostibus olim
 Missa per Hesperia fines utriusq. trophæa
 Iam placidè ridet: qui cernit & audit Iberos,
 Quos patulo miseros sitis urit & ignis hiatu,
 Orantes gelidæ munuscula tenuia lymphæ,
 Et tamen incassum: Sedet æternumq. scdebit
 Albanus, sed habens nihil albi corpore toto,
 Nigrior Illyrica pice, sulphure tostus, & illas
 In furno recoquens leges, quas sanguine multo
 Belgarum (quis enim cades memoraverit?) olim
 Scripserat: æternæ bona pars erit ultio vitæ.
 Quin & in his terris pietatis, & ampla secunda
 Præmia virtutis Princeps GVILIELME tulisti,
 Magnificas metuendus opes, venerandus honores,
 Charus amicitias, castos dilectus amores.
 Prima SOPHIA tuos, mox ANNA MARIA pudicè
 Iuit in amplexus: Hanc Rhenus & Ister, at Illam
 VVirtenberga dedit: peramabilis utraque coniunx,
 Utraque formosâ fecit te prole parentem.
 Parcite Salanæ lachrymis iam parcite Musæ.
 Magna simul nobis præbent solatia parvi,
 Quos tibi suffecit DEVS ò FRIDERICE, Quirites
 Filioli, tua cura Pater, dum vita manebat,
 Qui facie referunt, referent virtute Parentem,
 Quam Generis plantat genius, rigat inclytæ Mater,
 Et Patruus patrio complexus amore Nepotes,
 Incrementa dabit DEVS omnia nostra secundans.
 Et tu iam capies patriæ moderamina, Gentis
 OVVitikeidæ sidus cæleste IOHANNES
 Omnia defuncto similis, par omnia Fratri.
 Tantus amor vobis, concordia tanta tot annos,

Vt iam Tyndaridas fileat cariota vetustas.
 Nomine tu Pater es triplici mitissime Princeps,
 Et Patria, Sobolisq; tuæ, pariterq; Nepotum.
 In te iam solo domus inclinata recumbit:
 Tu decus omne tuis, tu portus & aura salutis.
 Te rerum moderante datas prudenter habenas,
 Stramineasq; casas Astra reviset, & urbes,
 Et comes huic niveis Pax candida vecta quadrigis.
 Ad te nostra manus tendit Salana, tuamq;
 Poscit opem, dubijsq; petit solamina rebus.
 Parcite Salana lachrymis, iam parcite Musæ.
 At nos interea, donec FRIDERICI secuti:
 Consortes erimus cœli, tua dicere facta
 Digna Sophocleo conabimur usq; cothurno.
 Te veniente die, te decedente canemus,
 Nostra tuis nunquam de laudibus ora silescent.
 Ante retrò versis current cit a flumina lymphis,
 Et mare velivolum siccis arefcet arenis.
 Carduus antè feret ficus, & spina racemos:
 Antè canes timidos ducent ad pocula damas,
 Et gryphes iungentur equis, iuga deseret alti
 Montis aper: nostro tua quàm labatur imago
 Pectore: testamur cineres, manesq; sepulti.
 Donec erit Pietas, donec Germanica Virtus:
 Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.
 Parcite Salana lachrymis, iam parcite Musæ.

VVolfgangus Heider M. subiecti-
 onis & pro innumeris beneficijs
 debitæ gratitudinis ergò m. f.

NAE.

ÆNĪA VI.

L Vtūm si qua prius meruerunt funera acerbū,
 Vnquam si iustus mœror in Orbe fuit:
 Iam dare iam fas est lugubria signa doloris,
 Iam fas est lacrymis ora rigare pijs.
 Namque FRIDERICVS Dux occidit ille VVILHELMVS,
 Adflīcta est Orbis, quo moriente, salus
 Teutonici: cuius (tuteſtis Dive RVDOLPHI
 Induperator ades) firma columna fuit.
 Ante alias verò terras Tyringidos ora
 Perdidit, heu! Patrem perdidit orba suū,
 Scilicet hoc nobis, si mens non læva fuisset,
 Portenta innumerā dira minata vice:
 Magnifici in primis memini prædicere pridem
 Rectoris nostræ tristia fata Scholæ,
 Ast narrata fuit surdis ea fabula: nulli
 Converti ad DOMINVM seria cura fuit.
 Ergo iuuet dignè scelus expendisse merentes,
 Crimina queis vitæ sic placuere suæ.
 At Tu, qui mirā gaudes bonitate, potentem
 Lapsis rebus opem, sat scio, IOVA feres.
 Tu Successorem IANVM parvosque Quirites:
 Servabis cymbæ tempora longa tuæ.
 Tu Viduam Illustrem quoque, germanamque Sororem,
 Totam & Saxoniam, pectora diâ, Domum
 Tempore tam duro sacro moderabere Flatu:
 Impositum ut possint ferre decenter onus.
 Tu nobis, culpam falsis, errata remittes;
 Et dabis hinc stabili prosperitate frui.
 Hoc credo, hoc gemitu deponco fideliter imo:
 Tu tibi confisi fac rata vota, DEVS..

*Humilime supplicat & submis-
 sissima gratitudinis ergo scriptum à
 M. Nicolao Rhostio Vinariensi, Eccle-
 sia Ienensis Diacono.*



Monodia Vinariensium.

I.

Occidit; occidit heu! PATRIAE PATER occidit; Eheu!
SAXONICAE fracta est prima columna DOMVS.
Audijt & Caelum & multangula Terra fragorem,
Audijt ô magnum quâ patet omne mare!
Ut subitò! ut validè tonuit! Spes omnis, & omnis
Contidit auxiliij consilijq; fides.
Ille DEI assertor FRIDERICH-VVILHELMVS in ipso
Et vitæ & rerum cursu inopinus obit.
Vitâ inopinus abit, qui perpete vivere vitâ
Parto immortalis nomine dignus erat.
Omnia iam videas tremere, & divulsa repente
Insolito ferri post sua vota statu.
ILLVSTRI DOMINO DOMINA est viduata MARITO,
LIBERI & abreptum flentq; vocantq; PATREM.
Ipsa PATREM PATRIAE queritur Regio orba, DVCEMq;
Cum senibus iuvenes; fœmina virq; gemunt.
Illustrem FRATREM FRATER desiderat, & se
Orbatum magnâ parte sui esse putat.
Hæc aut his maiora DVCCIS mors prævia nostri
Contulit, ut mala sint accumulata malis.
Quod si continui parerent medicamina fletus,
Flere per assiduas stet libeatq; moras.
Sed requies in pace DVCCI detur astrica nostro,
PRINCIPIS excelsi Manibus esto benè.
Quod durum est, levius faciet PATIENTIA, quando
Corrigere esse nefas Exitus ipse probat.
Nemo tamen nobis Legem ausit dicere flendi,
Possumus amisso nil nisi flere DVCE.

Occidit 3

Occidit; occidit heu! PATRIAE PATER occidit; Eheu!
SAXONICAE fracta est prima Columna DOMVS.
In communi luctu Lug. Moer. devo-
tissimè scribebam Casparus Boni-
facius P. L.

I. I.

GRande nefas! quid enim? heu imis vox fascibus haret,
Oreque supplantat verba dolor medio!
Occidit! occidit! heu Friderich Guilielmus heros,
Presidij interijt fida columna mei:
Tanta ab scæva tibi Libitina licentia? tanto
Tam properè potis es me viduare bono:
Coniuge consortem, fratrem fratre, atque parente
Filiolos, fulcro Saxoniamque domum!
Non potuit Pietas fatis properantibus alas
Sistere, non vera Religionis Amor?
Non irrupta Fides, Clementia, nescia iniqui
Iusticia, aut quis Dux dotibus iste fuit?
Nil valere preces, quas pro Duce, Coniuge, Patre
Cum populo Coniux, Progeniesque tulit.
Ah immaturo cadis heu Dux optime casu,
Qui Pylios annos vivere dignus eras!
Dignus eras; sed ego non tanto munere digna
Criminibus pœnas has statuente DEO.
Nunc ergo viduo mœrens heu languero luctu
Et mea plangentis inficit ora dolor.
Saxonica Illustris luget cum Stirpe marita
Illa suum patrem, coniugem at illa suum.
Mœsta patrum secum tacitum meditata dolorem
Curia se curis exedit ipsa suis.
Cuncta strepunt querulo planctu iuvenumque senumque:
Ingeminant lacrymas famina virgines suas.

Ah

*Ab lacrymis si fata modò concedere scirent,
Optarem in lacrymas diffluere ipsa meas.
Verum tot planctus, & tot suspiria fato
Illegi legem dicere non poterunt.
Quin potius luctum Pietas vetat alma, voluntas
Sit sua firma D.E.O, sit requiesq; D.V.C.I.
Qui nunc aetherei miratur limina Cæli
Enthea, & eternâ pascitur ambrosiâ.
Hæc tandem exacta per tot discrimina vita
Impedit emeritum dia corona caput.*

*Iohann. Bornitz LL. St. sub-
iectissimæ devotionis ergò F.*

III.

V *T* *I* *u* *d* *æ* *s* *u* *u* *m* *f* *l* *e* *v* *i* *t* *s* *i* *n* *e* *s* *i* *n* *e* *I* *O* *S* *I* *A* *M*,
N *e* *c* *l* *a* *c* *r* *y* *m* *i* *s* *p* *o* *s* *u* *i* *t* *t* *r* *i* *s* *t* *i* *t* *i* *e* *q* *u* *m* *o* *d* *u* *m* :
H *a* *u* *d* *a* *l* *i* *t* *e* *r* *P* *a* *t* *r* *i* *e* *P* *a* *t* *e* *r*, *o* *F* *R* *I* *D* *E* *R* *I* *C* *E* *V* *V* *I* *L* *H* *E* *L* *M* *E*,
I *a* *m* *p* *l* *o* *r* *a* *n* *t* *o* *b* *i* *t* *u* *m* *f* *æ* *m* *i* *n* *a* *v* *i* *r* *g* *e* *t* *u* *u* *m*.
T *o* *t* *u* *s* *i* *n* *f* *l* *e* *t* *u* *m* *p* *o* *p* *u* *l* *u* *s*, *p* *l* *e* *b* *s* *i* *m* *a*, *S* *e* *n* *a* *t* *u* *s*,
D *i* *v* *e* *s*, *i* *n* *o* *p* *s*, *i* *u* *v* *e* *n* *e* *s*, *i* *n* *v* *a* *l* *i* *d* *i* *q* *u* *e* *s* *e* *n* *e* *s*.
H *e* *u* *P* *i* *e* *t* *a* *s*, *h* *e* *u* *p* *r* *i* *s* *c* *a* *f* *i* *d* *e* *s*! *Q* *u* *i* *s* *c* *r* *e* *d* *e* *r* *e* *t* *u* *n* *q* *u* *a* *m*,
T *o* *l* *l* *e* *r* *e* *f* *a* *t* *a* *b* *o* *n* *o* *s*, *l* *i* *n* *q* *u* *e* *r* *e* *f* *a* *t* *a* *m* *a* *l* *o* *s*?
Q *u* *i* *s* *m* *e* *l* *i* *o* *r* *n* *o* *s* *t* *r* *o* *D* *u* *c* *e*, *q* *u* *i* *s* *c* *l* *e* *m* *e* *n* *t* *i* *o* *r* *a* *l* *t* *e* *r*?
S *c* *e* *p* *t* *r* *a* *t* *u* *l* *i* *t* *P* *a* *t* *r* *i* *e* *t* *à* *m* *m* *o* *d* *e* *r* *a* *t* *a* *s* *u* *a*?
I *l* *l* *e* *p* *i* *e* *s* *u* *p* *e* *r* *o* *s* *c* *o* *l* *u* *i* *t*, *d* *e* *l* *u* *b* *r* *a* *r* *e* *f* *e* *c* *i* *t* :
I *l* *l* *e* *S* *a* *c* *r* *i* *s* *p* *a* *c* *e* *m* *r* *e* *d* *d* *i* *d* *i* *t*, *i* *l* *l* *e* *S* *c* *h* *o* *l* *i* *s*.
E *t* *p* *a* *t* *r* *i* *y* *s* *c* *i* *v* *e* *s* *s* *i* *n* *e* *v* *i* *s* *i* *n* *e* *f* *r* *a* *u* *d* *e* *g* *u* *b* *e* *r* *n* *a* *n* *s*
L *e* *g* *i* *b* *u* *s*; *a* *q* *u* *a* *l* *i* *c* *u* *i* *q* *u* *e* *b* *i *l* *a* *n* *c* *e* *d* *e* *d* *i* *t*,
Q *u* *a* *m* *e* *r* *i* *t* *u* *s* *f* *u* *e* *r* *a* *t* : *P* *æ* *n* *a* *s* *&* *p* *r* *e* *m* *i* *a* *c* *e* *r* *t* *a*
Q *u* *o* *d* *l* *i* *b* *e* *t* *I* *m* *p* *e* *r* *i* *u* *m* *v* *i* *n* *c* *u* *l* *a* *p* *a* *c* *i* *s* *h* *a* *b* *e* *t*!
M *o* *l* *l* *i* *a* *t* *u* *m* *c* *i* *v* *e* *s* *p* *e* *r* *a* *g* *e* *b* *a* *n* *t* *o* *c* *i* *a* : *n* *u* *l* *l* *u* *s*
A *r* *m* *o* *r* *u* *m* *t* *r* *e* *p* *i* *d* *o* *s* *p* *e* *r* *c* *u* *l* *i* *t* *h* *o* *r* *r* *o* *r* *a* *g* *r* *o* *s*.*

Terra

Terra dabit fruges, thalamus nova pignora lecti:
Omnia fructifera plena quietis erant.
Iam quis fraterni, quis concubialis amoris
Versibus ardorem commemorare queat?
Hoc opus Iliados! Quis cætera prendere tandem
Egregij poterit splendida facta Ducis?
Hunc igitur rapidi tulit inclementia fati.
Sed quid fata DEI conscelerare iuvat?
In fatis nihil est culpa: DEVS arbiter equo
Dirigit arbitrio, quicquid hic orbis habet.
Scilicet is plectens commissa nefaria terra,
Aurea mansuetum vexit ad astra Ducem.
Non miseri pœnas luimus: Capit ille quietem,
Cum PATRE, cum magno non revocandus AVO.
At TV, qui patriæ deinceps moderabere PRINCEPS,
A Proavij, tuum nomine nomen habes.
Sis felix, nostrasq; leves, Dux optime, curas;
Tu nobis medicam, nam potes, asser opem.
Informaq; pio teneros ex Fratre nepotes,
Ut patriæ teneant nobile laudis iter.
Sic niveis te fama vehet super athera pennis,
Et recinet laudes semper amica tuas.

Humilimæ subiectionis ergo
in communi luctu F:

Heinricus Bechstad
LL. St.

E

Non

Non sine multorum lachrymis Celsissi-
mus Heros

Ecce viator! abijt, contegiturq; solo.

Reddidit hunc clarum **P I E T A S T V -**
T I S S I M A V I R T V S,

Hinc fuit & verae religionis amans.

Nec non & Patria Pater optimus ille
vocatur,

Testis Saxonia est, testis & **J M P E -**
R I V M.

Quid nos ergo decet, quis non ignota Pa-
rentis.

Communis Patria perpetua est probitas?

Num lachryma? merito: lachrymis nam
dignus & ille est,

Qui Imperium tantâ sedulitate gerit.

Insuper & summus studiorum fautor &
autor

Præ reliquis nobis, proh dolor, hic perijt.

Mortales igitur jacturam plangite; sed tu

Illustris placide iam requiesce cinis.

Gregorius Horstius Med. Stud. sub-
iectissimæ devotionis ergo posuit.

E P I T A



E P I T A P H I A.

I.

Quis cubat hic? Pietas, Probitas, Sapientia, Candor;
Paxq̄, Salus, Bonitas, Iustitia, atque Fides.

II.

PRINCIPIS hęc Solymę Reges tenet urna, DAVI-
DEM,
IOSAPHATVM, SALOMONEM, EZECHIAM,
IOSIAM.

*Elias Reusnerus Leorinus,
Hist. & Poës. Professor.*

III.

Pacis an hi tumuli? Pacis sunt: Nec tamen hic Pax
Sola iacet: sed & hic est tumultata Fides.

An Fidei hi tumuli? Fidei sunt: Nec tamen hic est
Sola Fides: sed & hic Relligio ipsa iacet.

Relligio hic ne iacet? iacet hic: Verum illa tamen non
Sola iacet: sed & hic Iustitia ipsa iacet.

Iustitia hicne iacet? iacet hic: Verum illa tamen non
Sola iacet: Pietas hic etiam ipsa iacet.

Tot bona nũmpot uere mori? Potuere profecto

Tot bona; si potuit Dux meus ille mori:

Quo vivo, cur se cælo conferret habebat

Terra; sed extincto, nil nisi terra manet.

Nunc bonus in cælo; nunc hæc mortalia saxo;

Nunc orbe eximium est; Spiritus, Ossa, Decus.

Jacobus Rosefeldus P. L.

IV.

Dixi iacet hic noster, FRIDERICVS nempe VVIL-
HELMVS,

*Quo salvo, saluum quod fuit omne, fuit.
Hunc meritò lugent, deflent, graviterq; queruntur
Curia, Templà, Scholæ, Patria tota, Duces:
Plangite terricolæ, quod is hæc terrena reliquit,
Cælica quod petijt, plaudite Cælicolæ.*

V.

Arithmologicum.

HIC PIVS IPSE CVBAT PATRIAR PATER, OPTI-
MVVS HEROS.
INCLVTA GENENSIS FAXQVE SALVSQVE
SCHOLAE.

VI.

NVpererat PRINCEPS, fuit NVNC EX PRINCIPE
fVNVs;
HæC hæC solIVS VI s reVerenDa DEI est.
Johannes Cellarius Nor.







29
Nc 34/5

ULB Halle

3

003 483 487




Sb.

VD 77

Nc - Retro ✓







THRENI
 LACHRYMAE ET EPI
 Confecrata beatis Ma
 ILLVSTRISSIMI ET C
 Principis ac Domini
DN. FRIDRICH
VVILHELMI DVCAE
 NIAE, LANDGRAVI
 GIAE, MARCHIONIS MIS
Magno cum Patriæ dolore et
sanctè pieq; in CHRISTO
 VINARIAE
 An. Sal. M. DC. II. Di
 post hor. XL. no
 Vixit an. XL. mens. II.
 horas totidem.

J E N
 Typis Tobiaë Steir

